

**1997-10-16 – SS Ioannes Paulus II – Constitutio ‘Parakuensis’**

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

**CONSTITUTIO APOSTOLICA**

***PARAKUENSIS\****

**NOVA CONSTITUITUR PROVINCIA ECCLESIASTICA  
IN BENINO, PARAKUENSIS NONCUPATA**

Successoris Petri in Ecclesia munere fungentes ad provehendum christifidelium spiritale bonum, nunc etiam populum Dei in Benino respicimus omnia disponere contendentes ad animarum curam efficaciorem inibi reddendam. Quapropter andito consilio quorum interest summa apostolica Nostra potestate novam Provinciam ecclesiasticam *Parakuensem* constituimus ex dioecesibus Parakuensi, Kandina, Natitingensi et Diuguensi, cuius sedes princeps Parakuensis erit deinceps, quae hisce quoque litteris archidioecesis metropolitana efficitur cui reliquae dioeceses Kandina Natitingensis et Diuguensis ut suffraganeae sedes subiciuntur. Praeterea Venerabilem Fratrem Nestorem Assogba, hactenus Episcopum Parakuensem, ad gradum Archiepiscopi et Metropolitae promovemus. Haec quae praescripsimus perficienda committimus Venerabili Fratri Andree Dupuy, Archiepiscopo titulo Saelesiensi atque Apostolico in Benino Nuntio, onere imposito ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione exemplum horum consiliorum exsecutionis remittendi. Hae denique Litterae Nostrae firmae sint volumus tam in praesens quam in posterum omne tempus, quibusvis rebus haudquaquam obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo sexto mensis Octobris, anno Domini millesimo nonagesimo septimo, Pontificatus Nostri vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*

IOSEPHUS card. TOMKO  
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. XC (1998), n. 1, pp. 5-6